



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 76. Ne contaminarentur. v. 28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

tales. Primo Hæretici hi enim uti Anabaptistæ intrare in templum Catholicorum manu hominum factum reformidant, sed bene ex templis facere equilla & tunc intrare, ijdem iurare veritatem non audent, sed bene mentiri: & alij multi hæretici, ita sunt in oculis hominum iusti, ut obolum etiam non detrahant in contractu, at tamen integra templa, monasteria, collegia, vrbes & Provincias bene audent Catholicis eripere: Calicem colatores, camelorum glutiores, quantum studij in Regum custodia simulant se ponere Puritani Britanniarum! quomodo majestatem regalem sanciverunt Decretis synodalibus caput Ecclesiæ etiam constituendo, & hoc negantes occidendo, secando, strangulando, sed serione? nequaquam, ipsi sciunt & coram mundo notificarunt, quam simulate omnia illa fuerint sancita. Aliquam hic etiam querelam non ego sed Dominus potest movere contra quosdam Catholicos Christianos, qui in externa quadam observantia pietatis religiosæ sese ita tenent & gerunt, ut corticem aspiciens pene sanctos crederes, sed si introspicias invidiam odiaque fovent & alia multa vitia, quod de foris est calicis videntur emundare, quod intus veneno & abominatione implere.

Sanctifica eos, ô Pater, in veritate & non in observantia solum, exteriori: fuga à filiis tuis omnem hypocrisin & simulationem, ut serviant tibi integro & mundo corde ac epulentur coram te in azymis sinceritatis & veritatis.

§. 76. Ne contaminarentur. v. 28.

Ridiculus sane prætextus, verum tamen à genio humano non alienus in præsenrem diem, & quod est miserimum non agnoscitur ab his qui eiusmodi larvas sibi concinnant. Ecce hi Pontifices, Seniores & scribæ prætorij ianuam tanquam maculam fugiunt, & hominibus incircumcisis misceri non patiuntur: lapidibus & hominum corporibus inquinari se crediderunt, iniuria vero interficere hominem sanctum nihil pensi putaverunt. Humana constitutio erat, ne Iudæus domum incircumcisi intraret ut ab immundo & incircumciso non contaminaretur: Lex autem diviua erat Non occides, non invideto, non falsum testimonium dicito, & hanc legem Dei contremebant Iudæi, servata hominum constitutione,

Quid hic, ô videntes, dicemus? vel faciemus? Nescio aliud quam quod Christus fecit cum cæcitatem Pharisæorum aspexit, indignatus est super ea, & virtus Domini erat ad sanandum eos, sit in illis, qui ista vident virtus ad sanandum taliter cæcos, oremus, ieiunemus, instruamus, & illuminemus.

¶

§. 77.